
Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Protervia quadam Philosophica.
2. Misellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Commentatio.

D. O. M. A.

Miſcellaneorum

DECADIS III.

EXERCITATIO IX.

De

GRADIBUS VIRTUTUM.

Semivirtutibus & Virtute Heroïcâ.

Practico-Philoſophica.

Pro diſputationis exercitio ad ſententiarum collationem propoſita

In Gymnaſio Gedanenſi

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Phil: Profeſſore Publico.

Reſpondentis partes expediente

JOANNE WICHMANNO,

Labioviensi Pruteno.

Ad diem 24. Aprilis. S. N.

In Acröaterio Philoſophico.

Horis ab 7. matutinis.

GEDANI. Typographo GEORGIO RHETIO ex-
ſcripta. ANNO 1638.

Miſcellaneorum
Decadis III. Exercitatio IX.

De gradibus Virtutum, ſemivirtute & Virtute heroicâ.

I.

MEmnonis *olim* ſtatua *apud Thebas Ægyptias fuit, è nigro lapide ad ortum ſolis converſa, narrante* Pauſaniâ in Att: l. 35. c. 7. *Ea imberbem adoleſcentem retulit, ambæq́ manus ſedi infixæ hominis ſurgere volentis ſimilitudinem prætulerunt, quaſi Orienti ſoli vellet aſſurgere. Oculorum & totius corporis conformatio hominem jamjam locuturum repræſentavit. Addūt* alij, *ſonum ab hac ſtatuâ edi ſolitum, ut primùm eam ſol oriens radijs ſuis converberaviſſet.* Tacit. l. 2. Ann. c. 9. Morale regnum, *quæq́ in eo parantur, ſi perluſtremus, duplex hominum occurret genus. Sunt euntibus ſimiles, qui arduum virtutis callem generoſo pede decurrant, evictis impedimentis, & nequidquam obſtantibus. Sunt inſtar Memnonis ſtatuæ inceſſus virtutum molientes, greſſusq́ componentes: ſed velut clavis affixi ægrè pedes protollunt. Surgere velle ad virtutem videntur: Sed affectus in adverſum rapit, jubetq́ ſubſiſtere. Nec ſeriò aut completè ſatis è vitiorum ſentinâ excedunt. Etiam loqui virtuoſa velle videntur, & commiſſas noxas velut nunquam iterandas ſeriò deteſtari. Sed habitu abſente parùm ſuccedunt cogitata. Facilè quid intercurrat, & ad vitia illis recurſus patet.* Virtutis eſt, evictis faſtidiis inchoatum opus pertexere:

texere: *&, quod occupantem fatigat, velut coronam victori expectare. Sed non omnes idem amavit Jupiter: nec idem opus singulis eadem metâ decurritur. Quosdam* ad prima adspirantes satis est in secundis tertiisq; subsistere. *Natæ hinc in moralibus* dispositiones quędam *virtuti affines, quibus ad eam inclinamus; sed vacillanter, & cum flexu ad oppositum.* Semivirtutes *appellamus, & simùl cum virtutibus in Ethicis discutimus. Eas jam unà cum heroicæ virtutis eminentiâ considerandas cum DEO dare per methodi rationem jubemur.*

2. Semivirtutes ad finem practicum *faciunt, beatitudinem moralem, non* quà *imperfectæ sunt & deficiunt: sed* quà *bonitatem aliquam sibi conformem habent, & vim animæ humanæ ad perfectum medium morale, virtutem, suo modo disponunt.* Ex gradibus *suprà virtus in ordinariam & extraordinariam est divisa.* d. 3. t. 18. *Ordinaria in perfectam & imperfectam subdividi potest.* Perfecta, *quæ complementum habitus est nacta, ex quo actus suos producit. Illa hactenus per species suas morales est discussa.* Imperfecta, *quæ nondum habitus, sed qualiscunq; dispositio aut principium ad eum est, vnde actus suos producit. Dicitur dispositio magis, quàm potentia, quia disponit & excitat animum ad virtutem perfectam, adeoq; inclinat aliqualiter ad certam contradictionis partem, ad quam potentia ex se indeterminata est: Et actum aliquem virtuti analogum quodammodò ponit dispositio, dum se habet ut via ad virtutem perfectam, quem non ponit potentia, sed eum tantùm respicit. Sic potentia videndi visus actum suspendere potest. At dispositio semivirtuosa actus requirit. Sic continens continentiæ, tolerans tolerantiæ actum aliquem præstat. Vt ergò in qualitatis primâ specie non habitus solùm ponitur, sed additur quoq; dispositio: Sic virtutem in Ethicis, non ut habitum solùm, sed & ut dispositionem considerare*

derare

derare fas est. i. e. ut semivirtutem, & gradum ad perfectam virtutem ulteriùs disponentem. De hac priusquàm specialiter agatur, quærenda primò generaliter sunt duo. 1. An virtus admittat gradus, adeoq́; , an rectè in perfectam & imperfectam, *eminentem & ordinariam, communem & heroicam, secetur? Negârunt ex Antiquioribus* Stoici, *& sicut omnia vitia paria dixerunt, ita & virtutem in indivisibili ac centro locaverunt.* V. Plutarch. l. d. Stoic. contrad: *& virtutes DEI ac hominis in eo tantùm diversas docuerunt, quòd illæ à naturâ essent, hæ & assuefactione compararentur, ut notat* Walæus p. 102. Eth. *Contrarium asseruerunt* Aristoteles l. 4. Top. loc: 77. *Si virtus suscipit magis, & justitia suscipiet, & justus, & alius alio erit justior: Et Aristotelei. Ut* Piccolomineus gr. 4. c. 45. D. J. Mart. C. 3. d. 7. q: 8. Walæus c. l. Timpler. 2. Eth. c. 1. q: 5. Velstenius d. 3. Eth. q. 8 *alijq́. Et hoc rectius. Pro cujus intellectu nota.* 1. Perfectionem aliam *esse essentialem & definitionis, hæc in omni virtute est eadem, essentiæ n. formæ & quidditates rerum non recipiunt magis & minus, sed sunt instar numeri, qui in indivisibili consistit, & cui nil addi demivè potest, quin mutetur species; ut* Aristot. 8. Meta. c 3. *loquitur*: aliam *accidentalem & elevationis, cum quid vel ratione subjecti, in quo recipitur, vel circumstantiarum, inter quas recipitur, vel adjunctorum, cum quibus recipitur, in subjecto spectatur. Ita virtus omninò intendi & remitti potest. Sic fortitudo longè eminentior in Alexandro M. fuit, quàm milite gregario, quia circumstantijs pluribus evehentibus septa, ut majestate subjecti, impetu heroico, felicitate & celeritate incredibili, &c. Hoc modo virtus* vel *est in summâ prorsùs perfectione & fastigio, & omnib. numeris absoluta, ut in virtute eminente & valdè heroicâ apparet, ita intendi ampliùs nequit:* vel *in aliquali perfectione, ita additione rerum*

ad virtutis usum, splendorem, alacritatem, pertinentium majorem gradum admittit. 2. Virtus *est medium non rei, & Arithmeticum, sed prudentiæ, & Geometricum.* d.3.t.8. *Tale medium latitudinem aliquam habere potest, ut modò propius sit extremo, modò remotius, nec tamen fiat extremum.* V.c.l. t.7. 3. *Rectum aliud est Mathematicum, hoc nihil rectius datur, quia est summum quid & velut punctum: aliud Ethicum & proportionis, hoc admittit varias circumstantias, quibus rectius, solidius, sublimius, illustrius, acceptius fiat. Ita* gratior est pulcro veniens è corpore virtus. *Et decus & virtus, nisi cum re, vilior algâ est.*

3. *Hoc modo virtutem intensionem recipere, ut modò sit excelsior, modò demissior, probatur* 1. artificialiter, *à requisitis rei ad ipsam rem: Cujus principia, objecta, actus & affectiones intensiones admittunt, idipsum intensionem admittit. Sic albedinis, nigredinis, caloris, frigoris, principia, operationes, & affectiones intensiones admittunt: ut experientiâ patet. Spiritus frigefaciens in äere interdum est validior, interdum intensior: ipsa frigefactio quandoquè intensa,* grimmig kalt/ *quandoq; remissa,* Wasserkalt: *affectio frigoris gradualitas, modò in ingente gradu, modò in demisso. Et ipsum frigus ergò gradus admittet. Sed principia, objecta, actus & affectiones virtutis gradus admittunt. Vt inclinatio naturalis, temperamentum indolis variat, nec in omnibus æqualiter ad virtutem est dispositum. Quibusdam magis ad virtutes, aliis magis ad vitia propendet. In his magis ad hanc virtutem inclinat: In illis magis ad aliam. Sic prudentia, directrix virtutum in aliis major, in aliis minor est, usu rerum & ætatis accessu augetur, iterùm minuitur: sic & majores a. minores virtutum effectus: producet. Proæresis & intentio interdum est plenior & liberior interdum ligatior, & quodammodo invita, ut in actionibus mi-*

stis.

stis. Consuetudo, desiderium honesti, interdum solidius, interdum languidius in virtuosis est. Hæc a. omnia inter principia *virtutum sunt. Objecta virtutis, sic appetitus irascibilis & concupiscibilis apud quosdam intensior, ap. alios remissior.* Actus virtutis, *sic fortitudinis actus in Simsone, Judâ Maccabæo, & Alexandro M. sunt eminentiores, quàm vili milite.* Affectiones, *sic gaudium & delectatio de honestè acto interdum majus est, interdum minus: valdè gaudemus, minùs gaudemus, ut experimur. E. & ipsa virtus, prout sub circumstantiis in subjectis est, gradus admittet.* 2. Inartificialiter, *testimonio* partim *communis experientiæ, quâ videmus, unum hominem in virtute aliquâ magis profecisse, quàm alterum: & eundem in eadem virtute per quotidiana exercitia magis magisq́; perfici, & consummatiorem fieri:* partim *Authorum Ethicorum, qui communiter gradus virtutum agnoscunt, ut* Aristotelis, Piccolominei, Keckermanni, Timpleri, *&c.* Stoicorum *argumenta in oppositum sunt:* 1. Quòd *recto, vero, & ordinato nil detur rectius: Virtus autem rectum quid sit.* 2. *Quòd* Virtus *medium Geometricum sit, quod unum & individuum sit, & uno modo tantùm attingi queat, à quo si minimùm deflectatur, jam extremum, non medium sit.* 3. Quòd *non misceatur cum suo opposito vitio, aut ejus additionem recipiat. Sed quæ magis minusq́; recipiunt, additionem oppositorum recipiant.* 4. Quòd *medio inter excessum & defectum non competat additio aut detractio, secus non esset medium. Virtus autem tale medium sit.* 5. Quòd *totum, perfectum & absolutum graduum variationem non admittat. Tale autem quid virtus.* 6. Quòd *vitia omnia sint paria, defectus nempe mediocritatum veræ rationis. E. & oppositos illis habitus, virtutes, pares esse debere.* 7. Quòd *Aristot.* 2. Nicom. c. 6. *rectè agere uno tantùm modo contingere. i. e. in-*

variabiliter, dicat. Similia 7. Phys. t. 18. *& in* Cat. de qualitate *habeat. Et Alcinous, Theages Phythagoreus & Cicero idem doceant. Ad hæc breviter hæc habenda.* 1. Recto, *quod in summo & absolutissimo gradu est rectum, nihil datur rectius: benè illo, quod in aliquo gradu & latitudine est rectum. Quale quid virtus, quæ in medio latitudinis cujusdam consistit, ut interdum propiùs ad extremum accedat, interdum remissiùs ab eo recedat.* V. d. 3. t. 7. 8. *Sic albedo color disgregativus est, sed in latitudine graduali, ut aliquis magis albus esse queat, aliquis minus. Sic intensior albedo nivis est, quàm parietis dealbati: argenti depurati, quam plumbi purgati, &c. Ita & in virtute se res habet. Sic virtus intellectualis est recta & perfecta: tamen clarior & eminentior in uno est eruditio, quàm altero.* 2. Virtus *est medium geometricum exactè, quà essentiam & definitionem, est n. habitus moralis proportionem prudentis rationis servans, & hactenus variationem gradualem non admittit. Sed ratione splendoris, accidentium, subjectorum, circumstantiarum, medium hoc ratione esse sui unum, accidentaliter variari, & sic virtus gradus admittere potest.* V. t. 2. 3. Virtus *est medium non compositionis, sed negationis extremorum.* d. 3. t. 7. *Adeoq; gradus habet non receptione oppositorum, sed variatione splendorum & conditionum accidentalium.* 4. Medio *inter excessum & defectum non competit additio a. imminutio ex esse & definitione medij: benè ex conditione subjecti & adjuncti. Unde intensio accidentalis orietur, non essentialis. Quam in virtute non docemus.* t. 2. 5. Totum *& perfectum in summo fastigio gradus non admittit: benè in suo modo & genere, quale perfectum Virtus. Sic album perfectum quid in suo genere, gradibus tamen variabile. Summè album gradus ulteriores non admittit.* 6. Vitia *sunt paria in essentiâ & definitione: non exi-*

existentiâ & subjectis. Sic feritas intensius est vitium semivitio, aut vitio absoluto. V. t. 26. *Ita etiam virtutes.* 7. Aristoteles *rectè agere uno modo contingere dicit ex essentiâ nempe & definitione medij, quod medium prudentis rationis est; & multis immediocritatibus opponi potest: non multiplicitate variandi per subjecta aut adjuncta, quasi medium illud nunquam sub majore vel minore splendore subjectis convenire posset. Cæteri, ut* Alcinous, Theages, Cicero, *de virtute summâ & perfectissimâ loquuntur, quæ gradus non capit. Reliqua per discursum videbuntur. Conferantur* Piccolomineus, Timplerus, Velstenius, D. J. Martini c.c. l. l. *aliiq.*

4. 2. *Hic quæritur:* An primo loco de semivirtutibus in Ethicis agendum, ante doctrinam virtutum perfectarum? *Ita vult* Walæus p. 3. Eth. p. 148. *quòd ab imperfectioribus ad perfectiora evidentior sit progressus. Et facto sic procedunt* Timplerus 2. Eth. c. 1. Piccolom. gr. 3. Alij *semivirtutes postponunt, ut* Keckerm. l. 3. Eth. c. 1. 2. Bartholin. p. 2. Eth. c. 12. Zapfius p. 468. Eth: Gutkius d. 14. Eth. Crugerius in hort. virt. q. 92. *aliiquè. Quasdam etiam ipse* Walæus p. 213. *Et hoc rectiùs. Quæ n. faciliorem & distinctiorem cognitionem faciunt, ea in ordinatâ tractatione præmittenda, ut* d. 16. G. L. t. 10. *dictum. Virtutes autem faciunt ad distinctiorem cognitionem semivirtutum, cum nemo scire queat, quid semivirtus vel virtus analogica sit, nisi prius virtutis naturam cognoverit. Velut nemo semihominem cognoscet, nisi prius hominem cognoverit. Ita non perfectè nosces dispositionem, nisi quia sit habitus, prænôris. Ordine* producentis naturæ *dispositio est ante habitum, ut via ante terminum. non* ordine melioris & distinctioris cognitionis. *Argumentum oppositum valet,* quando imperfectiora ad faciliorem perfectorum cognitionem faciunt. *Sic bru-*

brutum ad cognitionem hominis facit, quia multa homini cum bruto sunt communia, unde priùs de bruto in Physicis tractari solet. Sed ubi non eò faciunt, meliùs perfectiora præmittuntur imperfectis. Sic in sensibus â visu, sensu perfectissimo, auspicamur, in Logicis priùs de syllogismo vero, quàm apparente, necessario, quàm Topico, in Politicis, priùs de Monarchiâ & Aristocratiâ, quàm democratiâ, traditur, quia illorum cognitiones ad horum multum faciunt. Conf. d. 13. G.L.t.10. *Ita & in Ethicis priùs de virtutibus, quàm semivirtutibus, rectè præcipitur.*

5. *Discussis* præcognitis *quibusdam de gradib: virtutum jam ad ipsos gradus in specie veniendum est. Tacti illi* t. 2. *Virtus imperfecta interdum virtutis aliqua umbra & idolum dicitur, quale in brutis agnoscimus,* V. d. 2. t. 5. *interdum omnis virtus moralis inchoata, quomodo tot semivirtutes vocantur, quot virtutes, etsi proprijs & distinctis nominibus omnes non appellentur. Quomodo semitemperantiam, semifortitudinem, semimodestiam, &c. agnoscere possumus.* V. Piccolom. gr. 3. c. 14. *interdum omnis virtus in gentili & irregenito existens, quomodo Ethnicorum virtutes coram Deo semivirtutes dicimus, & patres nonnulli virtutes sine Christo vitia vocaverunt, ut* Hieronymus, V. Velsten. dec. 3. q. 9. *Hoc significatum huc non pertinet: abstrahitur n. hic de semivirtute vel gentilis vel Christiani, vel Judæi, aut alius, & abstractè ejus natura disquiritur, prout in homine generaliter reperitur, qualiscunque ille sit: interdum generaliter dispositio aliqua, gradus, aut affectus probus ad virtutem deducens, qui* proprio & distincto nomine *enuntiari queat, in quocunque subjecto humano existat. Ita hic sumitur, & speciales quædam semivirtutes hic pertractantur, Vt* t. 9. 10. *patebit. Dicitur & aliàs dispositio virtuosa, virtus incompleta, inchoata,*

im-

imperfecta, semiplena, via, gradus & principium ad virtutem. Aristoteles ὡς ἴνας ἀρετὰς, *quasi quasdam virtutes*, 4. Nicom. c. 15. *&* διαθέσεις *ad virtutem vocat*. l. 7. c. 1. *Et spectari hic poterit semivirtus* vel *quà definitionem*, vel *divisionem, & analogicam attributionem*, vel *collationem & oppositionem.*

6. *Definitio sit:* Semivirtus est proba animi humani dispositio ad virtutem completam excitans, inducens, & eidem analogicâ aliquâ attributione inæquali correspondens.

7. *Ex genere dicitur* dispositio, *i. e. qualitas ad aliquid movens & inclinans. Non est* habitus, *quia non est qualitas ultimam & facilitantem perfectionem subjecto concilians, quæ actum perfectum & ex habitu prodeuntem faciat: nec* potentia naturalis, *quia non indifferentiam ad bonum & malũ morale habet, ut potentiæ habere solent, sed magis ad bonum inclinat: Nec* qualitas patibilis, *quia non est qualitas corporis directè sensum externum, ut objectum, afficiens: Nec* forma aut figura, *quia non est externa rei delineatio aut configuratio. E. est dispositio, quia plures qualitatis species non dantur, ut in Metaphysicis ampliùs confirmatur.* Proba dispositio, *quia ad probum, i. e. virtutem inclinat, ut distinguatur ab* improbâ dispositione, *quæ etiam datur in homine, & ad pravum ac vitium movet & inclinat. Vt sunt instinctus naturales quarundam naturarum ad avaritiam, iracundiam, libidinem.* V. t. 16. *Sic sanguineos inclinare ad intemperantiã, atrobilarios ad amarulentiam, Cholericos ad temeritatem & iracundiam, phlegmaticos ad rapacitatem & timiditatem dicimus. Juxta illud: Naturæ sequitur semina quisq; suæ. Dicitur dispositio* animi humani, *quia* πρώτως *in hoc est, etsi occasionem ex corpore ejusq; temperamento habere queat. Cor-*

pus enim vivam dispositione vel naturali, ut instinctu, nemesi, vel acquisitâ, ut continentiâ, tolerantiâ, instructum dicimus, non inanimatum aut mortuum: Humani, *quia in homine propriè est animus, non angelo aut bruto, nisi per Metaphoram: & virtutes ac actus morales, de quibus in Ethicis agimus, humani sunt, non bestiales aut angelici.* V. d. 2. t. 5. Ad virtutem completam excitans & inducens. *Hæc officia & actus semivirtutis in homine sunt, inducere & excitare animum ad completiorem virtutem. Vnde & ad finem moralem deducunt, etsi imperfectè.* V. t. 2. *Sic instinctus naturalis honestus, verecundia, misericordia, ad modestiam, liberalitatem, hospitalitatem, justitiam, veracitatem, &c. animum præparant, & ut illæ faciliùs occupentur, velut semina & invitamenta suppeditant.* Attributione analogicâ respondens virtuti; *hoc ab attributo aliquo semivirtutis sumitur, quo non ipsa virtus completa, sed ei analogon quid esse indicatur, ut ex speciebus semivirtutis, ut verecundiâ, misericordiâ, posteà patebit.* Proportione inæquali, *quia similitudo semivirtutum ad virtutes in speciebus semivirtutum inæqualis est; quædam propiùs ad naturam virtutum accedunt, ut quæ acquisitæ dicuntur: ut Continentia propior est temperantiæ, quàm verecundia aut misericordia: Tolerantia fortitudini, obœdientia modestiæ: quædam remotiùs ab ijs distant, & laudabiles magis affectus sunt, quàm semivirtutes, ut misericordia & verecundia. Vnde vox semivirtutis inæqualiter & analogicè de speciebus dicitur, de quibusdam per prius analogatum, ut acquisitis: de alijs per posterius, ut naturalibus. Sic instinctus naturalis admodùm remotè semivirtus dicitur: propiùs affectiones naturales, ut misericordia & verecundia: propinquissimè affectiones acquisitæ, ut tolerantia & continentia.*

8. *Ita* Definitio *semivirtutis: sequitur* Divisio. Keckerm.

ckerm. l. 3. Eth. c. 1. 2. seq. *in virtutem imperfectam ex genere dividit, vel ex genere & effectu simùl. Ex genere vel imperfectam quoàd nos, ut pudor & verecundia, vel quoàd alios, ut compassio s: misericordia, immunitas ab invidiâ & suspicione: vel quoàd nos & alios simùl, ut æmulatio & pœnitentia: Ex genere & effecto simùl, ut continentia & tolerantia.* Timpl. 2. Eth. c. 1. q. 9. *divisiones has reÿcit, quòd multæ species non sint semivirtutes, sed vel affectus, ut pudor, sympathia, æmulatio & pœnitentia: vel affectuum aut motuum malorum carentia ut immunitas ab invidiâ & suspicione: vel virtus universa, ut obœdientia, quæ à Piccolomineo inter semivirtutes refertur* gra: 3. c. 1. & 10. *Circa hoc nota.* 1. Vox *semivirtutis largissimè sumpta omnem virtutem moralem complectitur, & tùm totuplex semivirtus est, quotuplex virtus moralis. Sed hic pressiùs sumitur pro dispositione aut affectu laudabili ad virtutem.* V. t. 5. *Ita certæ ei species hîc assignantur.* 2. Affectus, *quà est motus cordis physicus ab objecto grato aut ingrato diversimodè excitatus, pertinet ad Physicam: quà dispositio, gradus, principium, & inclinatio ad virtutem esse potest, ad Ethicam, & ita quidam laudabiles affectus hic inter semivirtutes recensentur.* 3. Obedientia *variè sumitur. Interdum externam, interdum internam unius facultatis in animâ ad alteram obœditionem notat.* V. t. 15. *Hæc* vel *firma est & cum habitu, cum congruenter se appetitus ad rationem habet, hæc est virtus moralis universa & per omnes species fusa, ac non nisi ratione ab eâ differt, ut virtus dicatur, quatenùs actum promit, exerit se, & activè se habet: Obœdientia, quà appetitum rationi obœdientem facit, subÿcit aliÿs, & magis passivè se habet:* vel *infirma & facilè mobilis, ita est dispositio virtuosa & inter semivirtutes recensetur.*

9. *Commodissimè semivirtus in naturalem & acquisitam dividitur. Divisio hæc admodùm analoga est.* V. t. 7. Naturalis, *quæ à naturâ homini competit & connascitur, uni magis, alteri minùs. Hæc* vel instinctus naturalis, vel affectio aliqua naturalis proba est. Instinctus naturalis *est inclinatio congenita, quâ ob certam temperaturam ad benè honesteque agendum internè instigamur. Dari eum in homine patet.* 1. Ratione. *Quia ad omnem virtutem acquirendam requiritur* φύσις, μάθησις, ἄσκησις, *natura, Cura, exercitura. Nihil invitâ Minervâ habebis, sine curâ acquires, a. exercitio in moralibus ordinariè possidebis.* 2. Experientiâ. *Experimur heroicas indoles statim ad virtutes splendidas à pueritiâ inclinari: alios magis ad effundendas opes, alios magis ad servandas à naturâ inclinari. Quidam ex hominibus egregiam sortiti indolem in ea, quæ tradi solent, perveniunt sine longo magisterio, & honesta complexi sunt, cum primùm audierunt, ait* Seneca l. 1. ep. 95. *Quid mens ritè, quid indoles nutrita faustis sub penetralibus possit, multi ostendunt, ait alius ap.* Putean. Cen: nov: ep. 5. 3. Authoritate, *partim scripturæ.* V. Sap. 8. v. 19. 20. *partim Philosophorum.* Arist. 6. Nicom. c. 13. *ad justitiam, fortitudinem, temperantiam, per naturam habiles nos esse ait. Et vulgò homo naturâ duce, non nudâ opinione, honestum amare dicitur.* V. d. 1. t. 27. d. 2. t. 12. & d. 3. t. 15. *Confer* Platonem l. 6. d. leg. & 6. de Repub. Sen. c. l. & ep. 73. Aristot. l. 1. Polit. c. 2. *aliosq́. Dices.* 1. Hæc doctrina *instinctus naturalis ad bonum detrahit totali corruptioni peccati originalis, quo talis instinctus post lapsum prorsùs extinguitur. Nam tantùm ad malum proni sumus ab infantiâ,* Gen. 6. v. 5. c. 8. v. 21. *Et in peccatis mortui.* Eph. 2. v. 1. Colos. 2. v. 13. *nec possumus boni quid cogitare quasi à nobis & nostrâ naturâ.* 2. Cor. 3. v. 5. *R. Peccatum originis*

tollit

tollit omne lumen & bonum in spiritualibus, sed rudera relinquit in naturalibus: mansimus enim post lapsum homines, non penitùs in bruta mutati sumus. Ita Paulus gentes τὰ τȣ̃ νόμȣ *fecisse ait.* Rom. 2. v. 14. *i.e. honesta quædam legi congruentia: &* τὸ γνωςὸν θεȣ̃ φανερὸν *in ipsis fuisse, & Deum cognovisse asserit,* c. 1. v. 19. 20. *Naturalibus nempe objectis & notitiis adjuti. In spirituali cognoscendorum foro cæci, pravi, insipientes, mortui, & ad cogitandum bonum prorsùs inepti sumus, & hoc volunt allegata loca, quæ* de spirituali foro *& in ordine ad supernaturalia scienda & agenda agunt, non naturalia.* Conf. d. 1. t. 28. 2. Instinctus *naturalis sequitur sensum. Sed sensus ad voluptates ac illecebras declinant, quæ seminaria omnium vitiorum & perturbationum sunt. E. & instinctus naturæ magis ad vitium, quàm virtutem inclinabit. R. Instinctus naturæ declinat ad pravum, quà sequitur sensum & appetitum corruptum & distortum: non quà naturaliter & indifferenter se habentem, ac lumine superiore dirigente, mentis & intellectus, illustratum. Hæc residuis notitiis naturalib. illustrati conveniens naturæ bonum præscribit & eligit, & quod instinctus naturæ interdum sequi potest, cumprimis si in egregio temperamento & indole radicetur.* V. *paulò ante. Lucta rationis & appetitus in homine est, non ut sic & naturaliter se habens, est, sic n. in naturæ authorem, DEUM, labes tandem redundaret: sed ut labe originali inquinatus est, & temperamento sordido immersus. Conf.* D. Meisn. p. 1. P. S. s. 3. c. 5. q. 4.

10. Affectio naturalis *proba est dispositio animi laudabilis viam virtuti aperiens, ad eamq́; hominem præparans. Et refertur* vel *quoàd nos,* vel *alios. Quoàd nos est pudor s. verecundia. Sumitur hæc vox interdùm latè pro metu dedecoris ex facto turpi vel quà rem vel opinionem: interdum strictiùs*

pro dedecore ex facto reverâ turpi, & dicitur pudor. Priore *modo maximè hîc sumitur, unde promiscuè pudor & verecundia dicitur. Quidam & ita distinguunt, ut pudor sit affectus post peccatum cum dolore facti existens: verecundia ante peccatum, à peccando detinens.* V. Septalium in s. 11. q. 32. probl. Arist. *Definitur* metus dedecoris aut reprehensionis ob turpe factum quà personam habitum. *Dicitur* metus, *i.e. affectio aliqua ex impulsu naturæ surgens, ut patet ex alteratione verecundantium, erubescentiâ, quâ perfunduntur. Ita habitui & virtuti contradistinguitur. Non enim virtus est, Nam virtus voluntaria est; at pudor sæpè invitis obrepit: & nihil turpe admittit; sed pudor cum facto turpi, cujus infamia metuitur, junctus est. De oppositis* V. Gutk. d. 14. Eth. q. 1. Dedecoris, *i. e. justæ reprehensionis quam aliquis incurrere queat. Vnde in probum non cadit pudor, juxta illud: Viri boni non est verecundari: quia nihil inhonesti committit, unde pudere necessum habeat: nec tamen impudens est, quia animum ad vitia non habet auratum.* Ob turpe factum quà personam habitum. *Causa pudoris est factum aliquod* personam agentem dedecens. *Hoc non semper turpe est ex naturâ rei, ut furari, adulterari: sed ex conditione personæ agentis, quòd ejus status a. dignitati non conveniat. Sic comedere in foro turpe est Senatori aut Professori, non cerdoni aut lixæ: unde illis pudorem incutiet, his nullum. Sic Lycurgus mulieres nudas in pompis ostendebat, ut nihil verè pudendum assuefaceret, quàm turpitudinem.* Erasm. in Lycur. l. 1. §. 68. *His nullum pudorem nuditas inferebat, cum aliis summum intulisset. Diogenes Cyn. in foro prandebat, quia in foro se esurire ajebat: in cauponâ bibebat, quomodo in tonstrinâ tonderi solebat.* Laërt. l. 6. in Diog. *Sic Augustus quocunque tempore & loco vescebatur, quo stomachus desiderasset.* Sueton. in Augu-

gu. §.76. *Sic Cornarius Medicus olim Marpurgi olera, butyrum, caseos, &c. in foro emebat, emptaq́ domum deferebat.* Meland. T. 1. jocos: c.502. *Hujus meritò eum pudere, ut Professorem dedecentis, debuisset. Hoc turpe* vel *est proprium, ut cum Concionator famosam mulierem ob pecuniam ducit, & homo projectæ ad mentiendum impudentiæ est:* vel *alienum, ut cum ancilla a. filia ejus stuprum passa est. Signum pudoris rubor faciei esse solet, unde genæ sedes pudoris dicuntur, & Aristotelis filia colorem pulcherrimum ruborem verecundiæ, ac Diogenes virtutis colorem appellavit.* Cur a. maximè facies in pudore coloretur, *ap.* Aristot: s. 11. probl. q. 32. Septalium in h. l. Conimbric. in l. d. brev. vit. c. 8. q. 6. *vide. Talis color pudoris magis decet pueros, quàm senes: Qui magis pudorem præstant mente, quàm mento: & pudore interno sunt instructi, qui est vis animi dictorum factorumq́ testis & inspectrix, animum contra decorum aliquid committere prohibens. Quibusdam etiam pudor* in oculis *esse dicitur, ut ex Athenæo adducunt* Conimbric. c. l. q. 9. *Quia eorum plerumq́ pudet, quæ in aperto sunt, & improbari credimus illis, quos videmus & metuimus. Unde coeci videntibus creduntur esse impudentiores. Quod si nullum turpe nec quà rem, nec personam, adsit, injustus est pudor: prout illicitè interdum pudere possumus.* V. Siracid. 42. v. 20. *seq. Sic superbos interdum parentum & cognatorum inferiorum suo, ut credunt, statu pudet. Pudoris exempla ap.* Zuinger. Vol. 12. l. 1. quære. Opposita *ejus sunt* & excessus, *nimia paviditas, cum nimiùm pudemus, & umbras dedecoris metuimus:* & defectus, *impudentia, cum nullo infamiæ metu à turpi deterremur. Exempla vitij* Zuing. vol. 4. l. 1. *habet.*

II. Quoàd alios *relata proba affectio est* misericordia s. compassio, *immunitas suspicionis, invidiæ, & nemesis.*

sis. Misericordia est condolentia ex adversis rebus proximi immeritò afflicti æstimati orta. Condolentia, *i. e. affectus animi facilè dolorem de alieno dolore concipiens, non virtus aut habitus, sed laudabilis animi motus. Objectum est proximus immeritò afflictus æstimatus. Cum videmus miserijs aliquem subjacere, quem dignum meliore fortunâ æstimamus, misericordiâ tangimur. Vt infantes, pueros, viduas, orphanos, immeritò captivos, furiosos, &c. Cum quis meritò affligitur, & cui non meliorem fortunam ex actis competere judicamus, non movemur condolentiâ. Vt si furias polypragmonicas extirpari, latrones, fures, adulteros, & virtutum profligatores plecti videamus. Sic cum An: 1566. 28. Octob: Funccius, Horstius, & Snellius capite plecterentur Regiomonti ob πολυπραγμοσύνην & reb. alienis immistionem, nemo prudens condoluit. De die & anno versus est anni & diei Index:* Simonis Judæ Snel: Funck. Horst. interiere. Henneberg. in hist. Pruss. p. 223. *Exempla* Zuinger. c. l. vol. 4. l. 1. *habet.* Oppositum *est* vel excessus, *cum nimiùm condolemus, etiam meritissimò afflictis*: vel defectus, *qui* vel *primarius, estq; immanitas & immisericordia, cum nullius dolore movemur. Exempla idem* V. 10. l. 1. *suggerit*: vel *secundarius, cum virum Sapientem non decere misericordia æstimatur. In quâ sententiâ fuerunt Stoici, ut ex* Senecâ l. 1. ep. 74. 85. & l. 2. d. clem. c. 4. 5. 6. *patet. Hæc falsa aut meros verborum lusus esse ap.* Piccolomin. gr. 4. c. 32. D. J. Mart. C. 3. d. 4. q. 8. Hornejum l. 3. Eth. c. 9. n. 3. *vide.* Immunitas suspicionis est affectus laudabilis, quo non facilè sinistrè de alijs præsumimus. *Oritur ex naturæ quodam candore & sinceritate, ut quod malum in nobis non sentimus, in alijs non præsumamus, nisi cogniti mali sint. Juxta regulam Juris: Tantisper bonus quis præsumitur, donec malus esse o-*

sten-

ſtenditur. Inter cæteras Theodoſij Imp. virtutes & id adductum, quòd animus ejus non fuerit ſuſpicax. Manlius coll. p. 594. *Ejus oppoſitum eſt* partim *exceſſus, nimia ſimplicitas, quâ non ſuſpicamur mala, etiam cum jure præſumi poſſunt. Sic Darius nolebat de fide popularium malè ſuſpicari, etſi infidelitas deferebatur*, Curt. l. 5. c. 11. partim *defectus, cum nulla ſuſpicionis immunitas, ſed ſuſpicio ſive ſuſpicacitas adeſt, affectus malus, malum etiam de immeritis præſumens. Non facilè cadit in Virum bonum, juxta illud* Ciceron: ad Q: fratrem, ep. 1. l. 1. *Vt quisq; eſt Vir bonus: ita difficilimè alios eſſe improbos ſuſpicatur. Et multorum malorum inter amicos, domeſticos, conſanguineos, eſt cauſa, ubi animum inſedit. Exempla* Zving. Vol. 4. l. 1. *&* Lycoſthenes apoph. tit. d. ſuſp. vitan. *habent.*

12. Invidiæ immunitas eſt proba diſpoſitio, quâ bona alijs data libenter ferimus & gaudemus. *Oritur ex naturæ quâdam liberalitate, quâ nobis ita benè eſſe cupimus, ut alijs ita eſſe & feramus & gaudeamus. Plerumq; probis & virtuoſis inſidet.* Nemo enim alterius virtuti invidet, qui ſuæ confidit. Cic. Philip. 10. §. 1. *Ejus oppoſitum eſt invidia ſive invidentia, affectus pravus, quò alijs bona communicata nolumus, & ablata cupimus. Vitium Sathanicum eſt, & plerumq; vilis abjectiq; animi, ac depravati cordis, cui magna videntur, quæ interdum vilia ſunt. Eſt filia ſuperbiæ, ut* Auguſtus *dicebat: naſcitur enim ex ſuperbiâ, quà quis ita ſe æſtimat, ut alium bonis planè indignum æſtimet. Cogitandum hîc: non omnium eadem aut æqualia poſſe eſſe bona, ſed neceſſariam eſſe ad munia vitæ imparitatem. Optimum remedium eſt, virtute & benè factis torquere, ſecundum illud:* Invidos virtute torquebo. *Exempla* Zuing. c. l. *habet.* Nemeſis eſt proba diſpoſitio animi dolorem ob præmia indignis tri-

buta & dignis negata concipiens. Rigerus l. 2. Eth. c. 29. justitiam distributivam ait esse. Sed rectiùs dispositio laudabilis & affectus virtuti analogus, quàm virtus ipsa dicitur. Non crebris actibus comparatur, ut virtus solet; sed naturæ facultate innascitur. Oritur ex mentis justâ quadam prudentiâ, quâ malis benè, & probis malè esse iniquum censet. Plerumq; magnanimos comitatur, qui virtutes præmijs dignas, vitia pœnis censent. Vnde si contrà agi videant, justa invidia & vindictæ cupido oritur. Oppositum ejus vel est excessus, nimius de felicitate improborum, miseriâ virtuosorum, dolor, Scripturæ prohibitus. Prov. 24. v. 19. 20. Psalm. 37. v. 1. Eccles. 8. v. 11. 12. Exempla Job. 12. v. 5. 6. c. 21. v. 7. 8. Psal. 73. v. 3. Jerem. 12. v. 1. Habac. 1. v. 2. 13. vide: aut ἐπιχαιρεκακία, dolor de felicitate, & gaudium de infelicitate aliorum. Cujus oppositum est ἐπιχαιραγαθία, gaudium de felicitate aliorum, cujus exempla ap. Zving. vol. 4. l. 1. vide: vel defectus, nulla præmiorum vel pœnarum dignis aut indignis tributarum cura, torpor aut fastidium aliquod rerum humanarum, cum nihil earum curatur. Talis in Diogene Cynico fuit, qui dolium versabat, cæterorum incuriosus.

13. Fuit semivirtus, quæ affectio proba naturalis est. Sequitur acquisita, Quæ industriâ humanâ ab homine comparatur, & animo inseritur. Hæc magis propriè est semivirtus, ac cæteræ, V. t. 7. Estq; continentia, tolerantia, & obœdientia. Continentiæ vox interdum sumitur habitualiter & perfectè, pro habitu perfectè continendi, sic vel temperantiam totam, vel ejus partem, castitatem notat: Quanquam hoc significatum Philosophis vix est in usu, ut d. 5. t. 3. notatum: Hoc modo virtus est, & homines laudabiles facit, quod objicit Snellius in Eth. p. 33. Interdum dispositivè & incompletè pro dispositione bonum in oblectamentis eligente cum pu-

gnâ sensitivi appetitus. Ita hic sumitur. Sic definitur dispositio proba acquisita, per rectam rationem à voluptatibus temperare faciens imperfectè & cupiditate repugnante. Dispositio proba, *ut distingvatur à virtute completâ*, v. t. 7. *acquisita, ut distinguatur à naturali*, V. t. 9. *per rectam rationem temperare faciens, quia norma & directrix ut virtutis, ita & continentiæ est recta ratio, per quam distinguitur à pertinaciâ, quæ est in malis, & ex cupiditate ac impetu: continentia autem in bonis, & ob certas rationes, non cæcum impetum aut quemcunq; animi motum: à Voluptatibus, sc. corporeis, quia idem continentiæ cum temperantiâ est objectum externum, voluptas corporis in alimento & Venere.* V. d. 5. t. 7. 8. *imperfectè ac cupiditate repugnante, per quod ut proprium à virtute perfectâ, temperantiâ, distinguitur.* Temperantia *vincit cupiditates, subjectas habet, & pro victore se gerit:* continentia *infractas habet, nondum subactas, & pro milite se gerit, pugnante adhuc contrà repugnantem hostem, nondum victore.* Oppositum *ejus est* partim *excessus, incontinentia, prava dispositio à cupiditatibus contra rectam rationem ad peccandum se abripi patiens. Contra rationem, quia scit incontinens* possessione & acquisitione, *quid honestum, quid turpe sit; etsi non sciat* applicatione *& usurpatione, dum scientiam ad animum actu non revocat, sed cupiditatem prævincere sinit scientiam: scit universale, quòd cupiditas inhonesta frænanda sit; nescit particulare, hanc cupiditatem, quâ occupatur, esse inhonestam, vel simpliciter, vel ex parte, quia cupiditate excæcatus falsam voluptuosi speciem pro verâ assumit, eaq; victus contra rationem succumbit, velut ebrius, furiosus, dormiens, motibus impeditus non cogitat ea, quæ aliàs scit: Conf.* Piccolom. gr. 3. c. 16. *seq: De incontinentiâ frænatâ* V. Drexelium l. 1. & 2. *Nicetæ:* Partim *defectus, nimia*

continentia, & stupor quidam Naturæ, quâ nullæ cupiditates curantur aut admittuntur. Rarò in hominibus occurrit. Interdum respectivè incontinentia cum intemperantiâ conferri solet, *partim* ratione discriminis, *ubi incontinentem sequitur pænitudo, intemperantem non: Intemperantia malum radicatum & continuum, incontinentia inchoatum & interruptum est, cum actuali ignorantiâ inhonesti in eo, quod patratur, conjunctum, & cum notitiâ inhonesti conjunctum: partim* ratione malitiæ, *quænam deterior? ubi intemperantiam longè deteriorem incontinentiâ esse ex dictis liquescit.*

14. Tolerantia est dispositio proba acquisita, per rectam rationem adversa & laboriosa incumbentia cum luctâ honestatis gratiâ perferre faciens. Dispositio, *ut à fortitudine distinguatur, quæ habitus perfectus; differt enim ut via à termino, & imperfectum à perfecto.* Adversa & laboriosa perferre faciens, *circa hæc enim ut objecta occupatur, velut & fortitudo. Et ut continentia circa voluptates corporis, sic tolerantia circa dolores versatur. Continentia circa hostes internos, tolerantia magis circa externos nos armat. Continentia magis superat voluptates, tolerantia magis resistit doloribus, unde Perferendo magis, quàm superando, circa eos versatur. Hinc* cum luctâ *perferre dicitur*, resistit enim magis *adversis*, quàm superat. Circa adversa incumbentia, *i.e. quæ actu jam imposita sunt, nec depelli possunt, ut ea tolerentur. Per hoc etiam à fortitudine distinguitur, quæ circa pericula etiam futura & animosè adeunda versatur*, d. 5. t. 19. *Tolerantia circa præsentia & jam imposita.* Honestatis gratiâ, *honestum enim pro fine habent* & virtutes, *ut vera finis practici media:* & semivirtutes, *ut semimedia.* Oppositum *ejus* vel *est excessus, durities, obduratio, induratio, quâ adversus omnia adversa animus induratur, etiam insuper habitâ*

bitâ honestatis ratione. De hac dicitur: Sis asinus, quemcunque asinum sors aspera fecit. Et Galliæ Reges asinorum Reges vocârunt, quòd subditi illorum quævis onera imposita asinorum instar ferre cogerentur. Manl. p. 586. collect. *Bernenses quasuis conditiones ab Austriacis, etiam victores, acceperunt, ut nobiles scommate eos petierint, dicentes:* bistu dan von Bernn/ so demütigstu dich gernn. Zvinger. Vo. 4. l. 1. *Vel defectus, impatientia & mollities, cum nulla molestia honesti gratiâ perfertur. Exempla* Zving. V. 7. l. 4. & Vo. 17. l. 6. Athenæus l. 12. c. 6. Valerius M. l. 9. c. 1. *habent.*

15. Obedientiæ *vox interdum sumitur generaliter pro obedientiâ totius naturæ erga DEum, quomodo omnes creaturæ DEO, ut creatori, obedire dicuntur.* Sap. 16. v. 24. c. 19. v. 6. Baruch. 6. v. 59. *Interdum specialiter pro observantiâ DEI & mandatorum ejus, quomodo Theologi inter reliquas virtutes de obedientiâ tractare solent,* V. Ames. l. 3. d. consc. c. 1. *Interdum pro obedientiâ Philosophicâ, quæ in foro morali & Ethico proponi, & à rectâ ratione dictari solet. Hoc modo iterum* vel *generaliter sumitur pro quâvis subjectione imperio facta. Sic omnis virtus est obedientia, facit enim affectus obedire rationi, & compositos esse:* vel *specialiter: Ita* vel *pro actu primo seu principio sumitur, per quod obedimus, ut hic;* vel *secundo, & actu obediendi, qui obeditio vel obtemperatio dicitur. Definiri potest* dispositio proba acquisita, præscripta prudentum & superioris legitimi honestatis & decori gratiâ implere faciens. *Objectum ejus est præscriptum prudentis & superioris legitimi. Prudentis, ne fatuorum, infantum, furiosorum, Corydonum, temerariorum, inhonestorum, mandatis obtemperetur. Unde cum inhonesta præcipiuntur, pro æquipollente mandato furiosi habetur, nec obediendum. Sic si quis temet interficere, in mare*

proÿcere, de rupibus deÿcere, scortari, furari, jubeat, non obedies. Hæc enim præcepta furiosi & inhonesti, non hominis sani, æstimantur. Unde obedientia moralis prudens & rectæ rationi conveniens *esse debet, non cæca, & à ratione aversa. Sic apud Anabaptistas cæca quondam obedientia invaluit, & mori jussi ad mensam etiam in conviviÿs à fratribus & cognatis cervices sibi resecari tulerunt.* V. Zuing. Vol. 15. l. 2. Sleidan. l. 10. *Ita malè Artaxerxis filius jubente patre stricto acinace ante regiam se interemit.* Aelianus l. 9. V. hist. *Ita coeca erat discipulorum apud* Rabbinos *obedientia, quâ, si Rabbinus dextram esse sinistram diceret, credere jubebantur. Similis Jesuitarũ est obedientia, qui omnibus in rebus, ad quas se cum caritate extendere potest obedientia, ad vocem Generalis sui promptissimos se futuros vovent, ut â superioribus sui regi se pati velint, perinde acsi cadaver essent, quod quacunq; se ratione tractari sinit; atq; ut senis baculus, qui quâcunq; in re eo uti velit, qui eum in manu habet, ei inservit. Ut refert* Catechism: Jesuiticus l. 2. c. 9. *Superioris legitimi, ne obediatur cuivis invasori, tyranno, aut qui nec jus, nec facultatem imperandi ullam habeat. Ita Diabolo Christianus non obediet, quia non est legitimus superior, nec jus imperandi habet.* Ex divisionibus *obedientia* vel *est Ecclesiastica, DEO ejusquè mandatis & legatis debita.* 1 Sam. 15. v. 22. Hebr. 13. v. 17. vel *Politica, Magistratui debita.* Rom. 13. v. 1. vel *Oeconomica, ut servi erga herum* Eph. 6. v. 5. *vel filiorum erga parentes.* v. 1. *vel uxorum erga maritos,* c. 5. v. 22. *Exempla* Zving. Vol. 14. l. 2. *habet* Oppositum *ejus est* vel *excessus, ut nimia cujusvis obedientia, citra honestatis aut decori respectum, quæ coeca ante dicta est: Ut cum præfecti & carnifices gentilium obedierunt impiÿs Cæsarum mandatis de interficiendis Christianis:* vel *defectus, inobedientia &*
con-

contumacia, cum nec honestis imperatis obeditur, sed contumaciter ea rejiciuntur. Estq; etiam vel *Ecclesiastica*, vel *politica*, vel *Oeconomica. Exempla* Zuing.c.1. vol.15.l.2.vo. 16.l.2. *habet.*

16. *Ita Semivirtus ex speciebus &* absolutè *tractata: Tractandi est* respectivè partìm *in collatione cum virtute*, partìm *cum opposito suo. In collatione cum virtute partìm ratione discrepantiæ, partìm præstantiæ spectanda.* Discrepantia *est tanquam dispositionis & inchoationis ab habitu & perfectione. Semivirtutes sunt dispositiones, Virtutes perfectiones. Illæ impugnatores, hæ victores. Illæ qualitates inconstantes & infirmæ, hæ constantes & firmæ. Illæ faciliter conciliantur, difficulter & cum tædio perficiuntur, luctam rationis & appetitus experiuntur. Hæ difficulter comparantur & amittuntur, faciliter & cum voluptate perficiuntur, luctam omnem disjiciunt & superant.* Præstantia *virtutis est major, semivirtutis minor. Illa habitus & completum quid est, affectuum dominium habens, & actus constantes ac cum alacritate producens: Hæc est dispositio & incompletum quid, affectuum pugnam sentiens, actus vacillantes & quodam torpore proferens. Sed completum præstantius est incompleto.* Dices: Actus semivirtutis *est difficilior actu virtutis, agit n. cum luctâ & flexu ad oppositum, virtus cum victoriâ oppositi. Ita difficiliùs à voluptatibus temperat continens, ac temperans: difficiliùs sustinet periculosa tolerans, quàm fortis. Sed cujus actus difficilior, id præstantius, Quò enim quid difficilius, eò præstantius, per* 3. Top. c. 2. *R. Quò actus difficilior* sc. objectivé *ex naturâ objecti, circa quod occupatur, eò præstantior. Sic fortitudo circa terribile versatur, temperantia voluptabile. Terribile a difficilius voluptabili. Et fortitudo ergò difficilior & sic præstantior temperantiâ: non a.*

sub-

subjectivè f. *ex naturâ subjecti agentis, quod agat cum tædio, luctâ, vacillatione, flexu ad oppositum, & sic difficiliùs alio subjecto ex pleno virtutis habitu agente. Ita semivirtutes difficiliùs agunt, quia subjectum dispositione tantùm affectũ, nondum habitu confirmatum est: non a. circa difficilius objectum, quàm virtutes, agunt. Idem n. cum his objectum habent. Sic tyro opificius difficiliùs operatur magistro, quia inchoans est, nondum perfectus, ut magister: non ideò tyronis actus præstantior actu magistri. Sic tyro logicus difficulter ratiocinabitur, artifex facilè. Non ideò tyronis Logici actus præstantior hujus.* Oppositum *semivirtutis est* semivitium, prava animi humani dispositio ad vitium morale completum excitans, disponens. *Ex analogicâ proportione semivirtutis* t. 7. *patet.* Divisio *ejus totuplex est, quotuplex semivirtus. Est* vel *naturale, ut instinctus naturalis ad pravum, impudentia, immisericordia, suspicacitas, invidia, epichairekakia, torpor rerum humanarum:* vel *acquisitum, ut incontinentia, impatientia, inobedientia. Patent species ex supra* t. 9. 10. seq. *dictis.*

17. *Ita considerata* Virtus ordinaria incompleta, *semivirtus: Sequitur* virtus extraordinaria, *quoàd gradum excellentiorẽ & inusitatũ spectatâ,* virtus heroica. *Hæc spectanda est* præcognoscendo & cognoscendo. Præcognoscendo *quærendũ:* An specialiter in Ethicis de virtute heroicâ præcipiendũ? *Quidã omittunt, ut* Scultetus, Snellius, Rigerus, Donaldsonus, Conimbricenses, Raconis, *aliĩq;*. Alij *tamen tractant, ut* Aristoteles, Keckermannus, Danæus, Evenius, Gutkius, Piccolomineus, Sagittarius, Heilandus, Timplerus, Zapfius, *& alij. Et rectiùs. Nam Ethica virtutem moralem* secundùm omnes modos & gradus morales *explicare debet, si perfecta esse velit.* Totaliter *n. objectum*

ctum suum disciplina aliqua explicare debet, cum universis partibus, modis, gradibus, speciebus, & affectionibus. Sed virtus heroica est certus virtutis moralis gradus, ut t. 21. *patebit. E. specialiter in Ethicis est explicanda.* Dices: Est potiùs *virtus superhumana & divina, principium magis divinum, impetum extraordinarium, habens,* t. 22. *quàm humanum. Sed divina potiùs ad aliam disciplinam amandanda, quàm Ethicam. R. Est virtus superhumana, non quòd planè speciem transcendat, sed quòd usitatum in eâ gradum & modum. Ita superhumanum in vitâ dicimus, quod communem conditionem agendi in vitâ transcendit. Sic & feritas superhumanum vitium dici potest. Et principium Vir. Her: divinum est, non* totaliter, exclusivè, *adæquatè, q. nihil valeret humana institutio, indoles, temperies, moralis assuefactio, Nam hæc omninò hic concurrunt,* t. 23. *sed* partialiter, *inadæquatè, permissivè, quòd solâ naturâ aut assuefactione non paretur. Afflatus divinus hic est, sed cum obsequio flexuq; mentis interno. Est principium externum, sed non repugnante interno: sed concursus promptitudine actum juvante & expediente. Interdum & actibus continuatis feliciterq; expeditis demùm fit heroica virtus, ut in Alexandro M. de fortitudine, Aristide de justitiâ res se habet. Et sic virtuti morali magnâ analogiâ juncta est. Ita diversus finis, publica utilitas, quam intendit heroä virtus,* t. 22. *non negat virtutem moralem. Nam & justitia Univer. ita intendit,* d. 4. t. 8. *Tamen virtus moralis & in Ethicis proponenda* c.l. t. 6.

18. *Cognoscenda virtus Heroica nomine & re spectetur.* Nomine 1. Homonymicè. *Sumitur v.h. interdum pro virtute spirituali & divinitùs infusâ, ac ad spiritualem finem directâ, quomodo virtutes renatorum heroicæ dicuntur, ut ca-*

 sti-

ſtitas Joſephi, abſtinentia Danielis, fortitudo Simſonis, quomodo eam ſumi teſtantur Piccol. gr. 6. c. 5. D. Ja. Mart. C. 3. d. 6. q. 8. n. 7. *Hæc ad forum morale non pertinet, ſed ſuperioris eſt ordinis, divini & Theologici.* V. d. 2. t. 7. *interdum pro virtute civili & humanâ eminentiorem gradum nactâ. Ita* vel *pro virtute intellectuali ſumitur, quomodo ſublimiter doctos heroäs litterarum vocamus, ut Ariſtotelem, Aeſculapium, Orpheum, Scaligeros: hoc ſignificatum hujus loci non eſt; Virtus enim intellectualis directè ad Ethicam non pertinet.* d. 3. t. 17. *Et per analogiam ſaltem poſſeſſores ſuos vocat beatos:* Vel *pro morali, quæ in eminenter moratis effulget. Hæc propriè hujus loci eſt, ut ex oppoſito ejus, feritate morali patet, quæ vitium morale eminens eſt. Ita iterum* vel *ſynecbdochicè pro fortitudine emenuore ſumitur, quomodo excelsâ fortitudine rebusq́ animosè geſtis illuſtres ſunt heroës, ut Alexander M. Cæſar, Simſon, Guſtavus Adolphus Suecorum Rex: Sic Græci Hectorem, Agamemnonem, Achillem, Herculem, Romani Romulum, Remum, Scipiones, heröas dixerunt:* Vel *magnanimitate & magnificentiâ aliquâ, quomodo magnanimos ac magnificos heröes vocamus, quia circa ſublimia virtute occupati:* Vel *propriè & generaliter pro quâcunquè virtute morali excelsâ, quomodo & in temperantiâ, & juſtitiâ, &c. heroicam eminentiam agnoſcimus. Ita hic ſumitur.* 2. Etymologicè: *Ita heroicum â ſubjecto ſuo, heroë dicitur, qui is, qui virtuoſis actibus communem virtuoſorum conditionem eſt ſupergreſſus, vnde Veteribus divinus homo & ſemideus dictus. Vocem a. herois vel* ἀπὸ τῆς ἥρας, *â Junone, vel* ἀέρος, *aëre, vel* ἔρωτος, *amore, vel* εἴρειν, *dicere, Veteres derivabant.* V. Piccol. g. 6. c. 1. 3. Synonymicè. *Dicitur & virtus divina, quòd partim à Deo, ut causâ, peculiariter originem habeat: partim ſplendore & faſtigio DEO ſimi-*

similem faciat: Extraordinaria, quia rarò in quibusdam hominib. occurrit: excellens, quòd subjecta excellere faciat: sublimis, quòd eadem sublimet: inusitata, quòd suprà usitatum morem occurrat: eminens, quòd ultra communem sortem suos eminere faciat.

19. *In re* absolutè & respectivè *tractari potest.* Absolutè *in definitione, causis, subjectis, divisionibus & affectionibus.*

20. *Definitio sit:* Virtus heroica est virtus moralis excellens, ad grandia & communem hominum sortem supergredientia facta patranda impetum divinitùs conciliatum & successum felicissimum pro usu boni publici subministrans.

21. *Ex* genere *dicitur Virtus moralis excellens.* Moralis, *ut morales actus edere & finem moralem habere intelligatur. Vt excludantur Virtutes intellectuales, quarum excellentia etiam interdum heroas denominat, sed per analogiam.* c.18. *Et ad aliud, quàm Ethicum forum eæ pertinent.* Excellens, *ut in gradu summo, non imo a. medio posita esse intelligatur: & semivirtuti, quæ in imo moralium gradu, & virtuti morali communi, quæ in medio est sita, contradistinguatur. Servat quidem medium rationis & prudentiæ etiam virtus heroica: Sed non medium* gradus & ordinarij processus, *sic enim in fastigio moris est, non medio, & subjectum suum suprà communem hominum conditionem splendore suo elevat.* Conf: d. 3. c.9. Si quæras, *Cur Vox, directa, omittatur hic, quæ in reliquarum Virtutum definitionibus plerumq; posita?* Ratio *danda est, Quia Virtutes directæ omnes speciale & determinatum objectum respiciunt, circa quod regendum occupantur, si Iustitiam Vniversalem excipias: Virtus a. heroica per Vniversas virtutes speciales funditur, omniumquè*

 est

est gradus eminentior, quomodo hic Virtus heroica sumitur, t. 18. *Ita & justitia, & temperantia, liberalitas, modestia, Veracitas, comitas, justitia, mansuetudo, &c. heroica esse potest. Reliqua verba pro differentiâ ponuntur. Ea ab objecto & modo versandi sumpta.* Ex objecto *circa grandia & communem hominum sortem supergredientia facta patranda versari, dicitur.* Objectum *virtutis heroicæ* vel *internum esse potest, quod est affectus concupiscendi & irascendi, quem moderari & ad medium prudentiæ revocare debet Virtus heroica:* Vel *externum, & est omnium cæterarum virtutum objectum in excellentiore gradu versandi spectatum, & ad bonum publicum determinatum. Vnde hic in genere grandia & communem hominum sortem supergredientia facta nominantur.* Facta grandia sunt actus difficultatem peculiarem adjunctam habentes. *Heroica virtus non est circa facta vilia occupata, aut quæ sine labore ac difficultate peculiari occupari queant: sed quæ vim, animum, robur & laborem peculiarem requirant, adeoq́; singulari cum difficultate peragantur. Quæ à pueris, mulierculis, vanis hominibus peraguntur, heroicæ virtutis eminentiam non admittunt.* Communem hominum sortem supergredientia facta *sunt actus peculiare subjectum agens requirentes, non quodvis admittentes. Heroica virtus non cadit in quemvis hominem, non in pueros, furiosos, leves, vilis animi & ingenij homines, aniles mulierculas, aut omninò ad vilia natas animas: Sed in singulare subjectum, quod & animo ad grandia sit instructum; & factorum difficultatem quasi transcendere & devorare possit. Vnde heroica Virtus sua subjecta communi hominum conditioni eximere, & superiori inferre dicitur.* V. t. 17.

22. Ex modo versandi *dicitur Virtus heroica impetum divinitùs conciliatum & successum felicissimum pro usu*

boni

boni publici subministrare. Impetum divinitùs conciliatum subministrat, hoc à Causâ efficiente primâ desumitur. Virtus heroica non nudâ naturâ, institutione, morali assuefactione, aut generali DEI concursu conciliatur, ut communis virtus moralis. d. 3. t. 15. *Sed requiritur peculiaris concursus divinus, quo afflatu & impetu quodam singulari aliquis ad agendum incitetur, & ob hunc instinctum divinum etiam felicissimè destinata ad finem deducat, quod aliјs nequaquam in isto genere contingeret. Ita* Cicero 2. d. nat. Deor. §. 166. Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino extitit. *Hinc ex isto impetu modus versandi in heroë est* cum aggressione magnanimâ, *& proposito admirabili, quo heroës magna & adversissima aggrediuntur, quæ aliјs horrorem incutiunt. Excitantur enim vehementissimo finis alicujus præclarioris desiderio, ut animum ad audendum altiùs extollant:* Continuatione constantissimâ, *quâ cuncta adversa, quibus alius succumbit, heros superat, nec voluptatibus à proposito abducitur, nec difficultatibus retardatur, nec calamitatibus infringitur; sed contemptis omnibus decus cùm virtutis, tùm personæ, accuratè servare & tueri novit:* Et absolutione admirandâ, *quâ felicitate incredibili ea ad finem propositum deducit, quæ eò deduci potuisse nullus sperare ausus esset. Ita Cæsar successu incredibili omnia sibi subjecit, & illud suum, Veni, vidi, vici, velut signum successuum inclamavit. Inde & impetum divinum, & successum admirabilem heroica virtus subministrare dicitur. Ex fine impetum* pro usu boni publici *subministrare dicitur. Bonum publicum hic accipe non pro bono unius urbis, a. regionis: sed indifferenter & permusivè, ad publicum ordinem & compositionem respiciendo. Ita Coriolanus publicum bonum intendebat, ultionem notoriarum & publicarum injuriarum, etsi Romam evertere*

 cogi-

cogitaret. Halicarn. l. 8. *Ita Cyrus, Carolus M. Constantinus, Ecclesiarum publicam rationem habebant, etsi regna aliorum per id evertere necessum erat, ut ab gentium injuriis & persecutionibus Ecclesia vindicaretur.*

23. *Ita* definitio *virtutis heroicæ fuit : Sequuntur* Causæ. *Eæ* vel *efficientes, & harum prima, DEus, peculiarem impetum & concursum præstans*, t. 22. *secunda, natura, indoles heroica, temperies accurata, subjectum laborum patiens, difficultatum impavidum faciens : intellectus practicus faciliter & feliciter conclusiones & principia practica intelligens, & quid faciendum aut vitandum, ostendens : appetitus judiciosè eligens, animosè aggrediens, constanter progrediens : institutio excelsior, animum ultrà erudiens & impellens : & tandem actus alacer, constans, felix, impavidus:* Vel *finales, harum vel externa & ad alios redundans, publica utilitas*, t. 22. *vel interna & in ipso heroë terminata, ut Dei assimilatio, unde Seneca Virum probum statuam Jovis vocat*, V. Piccol. gr. 6. c. 15. *& famæ ac æternitatis consecutio*, V. Horat. l. 4. od. 9. Vel *materialis, quæ ex quâ hic nulla, ut in accidente : In quâ est subjectum virtutis heroicæ, in quo radicatur, & quod excelsum facit. Hoc vel ultimum & denominationis est, quod est compositum s. homo, qui heros denominatur : primarium* Mas, *& inprimis persona publica, princeps, Magistratus, in quib. præcipuè heroæ virtutis eminentia fulgere solet, prout exempla ap.* Apolepht: p. 1. cr= quicf. p. 235. seq. p. 543. seq. Danæum l. 1. Eth. Chr. c. 21. *videri possunt. Etiam* Lutherum *quidam inter heroäs numerant, ob singularem impetum divinum, quo ad agendum concitatus fuit, ingentem animositatem, & constantem continuationem, dona & eruditionem admirabilem, ac felicissimum actorum successum, &c.* V. Chr. Matthi. l. 3. Eth. ex. 10.

q. 3. *Secundarium* fœmina *& mulier publica, Cui secundariò splendor heroicus competit. Vt* partim *oppositum ejus, feritas & bestialitas morum docet, quæ interdum in fœminas cadit;* partim *exempla heroicarum mulierum fidem faciunt. Vt Semiramis Assyriorum, Penthasilea Amazonum, Mauvia Saracenorum, Venda Polonorum, Camilla Volscorum, Arthemisia Carum, Elisabetha Anglorum, reginæ, Debora Hebræorum ducissa, Valasca Bohemorum, ap.* Aen. Sylvium hist. Bohem. c. 7. 8. Apolephtem p. 2. erqu. p. 199. Plutarchum l. d. virt. mul. Piccolomin. gr. 6. c. 10. Bocatium l. d. clar. mulier. Joh. Jacobum Bergomensem l. d. illus. mulierib. *aliosq́. Quædam mulieres virtute intellectuali excelluerunt, & litteris claræ fuerunt, ut Eustochium, Genebria, Proba, Constantia, Cassandra, Cambra, &c. quarum Catalogum ap.* Meigerum p. 1. nucl. histor. c. 33. Joh. à Münster præf. Can. latr. *vide.* Aristot. 1. Polit. c. 4. *negat, eam in mulieres cadere, quòd firmissimam requirat constantiam, quæ non sit in mulieribus. Sed intelligendus est de ordinario modo, quomodo in mulierib. illa virtus non est. Extraordinariè tamen & heroinæ, & constantes esse possunt.* Subjectum informationis *est facultas aliqua hominis proximè virtute heroicâ, ut habitu informante, perficienda, estq́ voluntas & facultas appetitiva.*

24. *Ex divisionibus virtus heroica quibusdam* in divinam & humanam *dividitur. Divina, quæ in spirituali & renato subjecto est. Vt in Josepho castitas, Josuâ fortitudo, Daniele sobrietas. Propriè hæc moralis non est, sed superioris ordinis, Theologica & spiritualis, & sic ad Theologiam remittenda. Huc religio, pietas, spes, fides, caritas, &c. pertinent, quas Theologicas vulgò dicimus. Quædam & bona opera in Christiano dicuntur.* Duo *de illis quæri solent.* 1. Cur nihil

in moralibus de illis ab Aristotele traditum? *Causa est, quia principium, finis, subjecta, & formæ earum supra moralia sunt, non moralia.* Principium *est gratia Dei & commotio Spiritus S. non assuefactio moralis.* Finis *earum virtutum est salus æterna, sanctitas spiritualis, & divina complacentia.* Subjecta *sunt homines renati & spirituales, non Civiles, ut sic.* Formæ *earum sunt convenientiæ cum lege, præcepto, & motu divino, non mediocritates ad prudentem rationem Civilem conformatæ. De his plura* D. J. M. C. 3. d. 5. q. 9. & d. 6. q. 8. Piccolom. gr. 4. c. 35. *vide.* 2. An specie â moralib. virtutibus differant, an modo & gradu tantùm? *Diversi sunt ordinis. Quædam sunt* merè *Theologicæ, ut pietas, religio, spes, fides, caritas: hæ totis essentiis & sic specie â virtutibus moralibus, ut temperantia, justitiâ, fortitudine, differunt: quædam sunt* mistæ, *& eodem nomine tàm in renato, quàm in irregenito dicuntur, ut castitas, sobrietas, modestia, &c. Hæ legaliter spectatæ specie non differunt â virtutib: gentilium: habent enim unam formam internam, mediocritatem rectæ & prudentis rationis, per quam conformentur*, d. 3. t. 12. 18. *Aliàs differrent seipsis & propriis essentiis, nam accidentia & puræ formæ sunt. Et sic altera earum non esset Virtus moralis, vel castitas in Christiano, vel in gentili, quod* ἀσύστατον *& Contradictorium est: Evangelicè spectatæ* largè specie differre *dici possunt, quatenus in renato inprimis â fide, ut radice, manant, conformitatem legis & mandati divini respiciunt, diversos â moralib. gentilium fines habent, ut obœdientiam testentur, Dei gloriam illustrent, fidem veram vivamq́ ostendant, proximo exemplum relinquant: Cum gentilium virtutes honestatem moralem, famam bonam, & felicitatem civilem pro fine habeant. Plura ap.* D. Meisner. d. 21. Antr. q. 14. D. J. M. C. 3. d. 9. q. . Gutkium d. 4. Eth. q. 1. Velsten, d. 11. Eth. q. 1. Thomam

mam p.1. q.92.a.4. Flerum d.6.Eth.t.1. *aliosq́; vide.* Humana, *quæ in homine civili reperitur.*

25. *Hæc* vel intellectualis *est, cum litterarũ scientiâ homines excellunt; hæc propriè huc non pertinet: Exemplũ ejus est* Tostatus, *Episc. Abulensis, qui 22. æt. anno omniũ artium & scientiarũ notitiam habuit, & de eo dictum:* Hic stupor est mundi, qui scibile discutit omne. Bellarmin. in Cat. scri. Eccl. *Et puer quidam Gröningensis 10. annorũ, qui universarum artiũ liberaliũ peritiâ ad miraculũ instructꝰ fuit, ad quẽ ob id peculiares litteras destinavit* Fridericus III. Rom. Imp. Añō 1472. V. Meyfart. l.1.d. ref. Acad. c.5. vel moralis, *cum virtutum moraliũ splendore fulgẽt. Affectiones virtutis heroicæ & heorũ sunt* partim *jucũdæ,* partim *ingratæ.* Jucunda *est cultꝰ & veneratio, quæ plerumq́; heroës comitatur. Acta n. sunt singularia, & felicia. Vnde admiratio hominũ & consequenter & veneratio sequitur. Item* raritas *heroum, quà nõ singulis annis, sed seculis tantùm heroës Deꝰ excitat. Quæ a. rara, etiã cara & in pretio sunt. Hesiodꝰ tantùm uno mundi seculo, aureo, heroäs vixisse putat. Sed exẽpla cùm Biblica, tùm Civilia in oppositũ sunt.* Ingrata *affectio herou͂ est* partim *tragicꝰ eorũ exitꝰ, quo plerumq́; defungũtur, ut Cæsaris, Pompeji, Annibalis, Alexandri M. exempla docẽt, cujꝰ ratio* & *naturæ vehementia esse potest, quâ affectꝰ validissimos habẽt, ut vix ijs moderãdis sufficiãt:* & *invidiæ magnitudo, cui subjacẽt, & quã semper superare nõ possunt:* partim *melancholiæ infestatio, quâ ita interdũ incessuntur, ut & morbo comitiali corripiantur. Cujꝰ causas latè inquirit* Arist. s.30. prob. q. 1. & Septaliꝰ in h. l. partim *liberorũ degeneratio, quà, ut vulgò dicitur, herou͂ filij plerũq; noxæ sunt. Sic Davidi Ammon, Absolon, & Adonias, nequã, Augusto Cæsari liberi carcinomata erãt, ut diceret:* O utinã aut cælebs mãsissem, aut prole carerẽ! Sveton. in Aug. §.65. *Causas* & *Theologicas* & *morales adducere solẽt. Vt indulgentẽ nimis educationẽ, familiæ splẽdorẽ, ex quo multa sibi licere existimãt, & sic sæpiùs in devia præcipitãt. Sic Themistocles filiꝰ à se uno totam Græciam regi dicebat.* Conf. Ch. Matt. l.3. Eth. ex.10. q.2.

26. *Ita* absolutè *Virtꝰ heroica tractata:* Respectivè *ratione differētiæ & oppositionis tractetur*. Differētia *discrimen inter Virtutē moralē ordinariam & heroicā investiget*, An illud specificū, an graduale sit? Quidā *specie eā à cōmuni virtute differe ajunt, ut* Thomas 1. sec. q.4. a.3. Timpl. l. 3. Eth. c.11. q. 1. Eueniꝰ d. 16. Eth. t.1. n.4.5. Quidā *gradu tantùm sublimiore discrepare putant*. Piccol. gr.6. c.5. Hornejꝰ l.4. Eth. c.5. §.1. Gutkiꝰ d.13. Eth. q.2. Casus l.7. Eth. c.1. Keckerm. d. 27. Curs. Ph. q.14. et l.3. Eth. c.5. Cruger. in hort. virt. q. 89. Zapfiꝰ p. 483. Eth. Elerꝰ d. 12. Eth. t.1. *aliiq́, & rectiùs*. Nam *virtutes circa idem objectū materiale & formale versantes, & eosdē actꝰ formales modꝰ accidentalibꝰ & splendoribꝰ tantùm diversos edētes, sunt ejusdē speciei, non diversæ. Sed virtꝰ cōmunis & heroica versantur circa idē objectum materiale & formale, Vt fortitudo cōmunis & heroica circa terribile secundum prudentē mediocritatem, liberalitas circa opes, modestia communis & heroica circa honores ejusq́ signa & consequētia. Actꝰ etiā formales eosdē edunt ut fortitudo animosas aggressiones & cōtinuationes, modestia demissas honorū appetitiones, liberalitas promptas opū cōmunicationes, &c. Modꝰ*釋 externꝰ & accidentalis, *splendor, & gradualis excelsitas in heroicâ virtute accedit, qui nō erat in cōmuni. Sic liberalitas heroica peculiari cū impetu, āplo cum splēdore, largâ cum communicatione procedit; cum communis submißè procedat. E. hæ virtutes tantùm gradibus differunt, non speciebus. De oppositis in discursu videbimus.*

27. Oppositū *virtutis heroicæ est excessꝰ & defectꝰ*. Excesꝰ *est feritas seu bestialitas, quæ definiri potest* vitiorū moraliū exuberātia, quā homo à cōmuni humanitate exorbitās in beluā velut degenerat, & omnē humanitatis sensū exuit. *Exemplum ejꝰ est* Nero, Sveton. in Neron. c.35. *Caligula*, Idē Cal. c. 22. *Phalaris Agrigentinorū tyrānꝰ* Arist. l.7. Nicom. c.6. Athenæ l.9. c.18. *Joh. Basilides, Moschorū tyrānꝰ*, V. Guagninū in descript. Moscov. c. 5. *Etiā Nebucadnezaris affectꝰ similis putatur*, Dan.4. v.30. *de quo* Cor. à Lap. Maldonatū, Pereriū in h.l. & Valles d. sa. Phil. c.80. *aliosq́ vide. Causæ hujus feritatis variæ eße poßunt, quas apud* Piccolom. gradu 6. c.13. *videas, & per discursum tangi poterunt*. Dividitur *à nonnullis in* profanitatem, *quæ in Deū & divina fertur, cum nihil illorum creditur aut curatur, cujꝰ exēpla* ap. Zwing. vol.15. l.2. *vide:* im̄anitatē, *quæ in proximum, cum ejꝰ nec cura, nec respectꝰ habetur; cujꝰ exempla* vol.10. l 4 & vol.4. l·4. *Idem habet; & quædā* Arist.7. Nic. c.6. *Et tyrānidem, quæ in patriā & Rempublicā, cum ejꝰ salꝰ evertitur. Exempla* vol.4. l.4. Id. *habet*. Defectꝰ *virtutis heroicæ est summus torpor & ignavia, quâ nulla ad virtutem ejusvé actum aut inclinatio aut conatus est, quomodo in vilibus, abjectis & frigidis naturis eße solet. Exempla* ap. Zwinger. vol. 1. l.3. *vide. Tantùm etiam de semivirtutibus, & virtute heroicâ, ac universâ virtutum moralium serie per theses dictum esto.*